

Deum prædeterminare moraliter voluntatem hominis ad consensum, cui necessario est conjuncta malitia. Ledesma enim, art. 13, conclus. 4 et 5, licet certissimum esse dicat, Deum non prædeterminare moraliter voluntatem hominis ad actum, qui est peccatum, consulendo vel præcipiendo illum, nihilominus addit esse certum Deum prædeterminare moraliter et morali modo voluntatem hominis ad actum peccati, quoad substantiam ejus, æque et ad actum virtutis, tum prædeterminando immediate voluntatem modo accommodato suæ naturæ, tum per cogitationem proponendo voluntati objectum secundum quamdam rationem boni et convenientis; fateturque hoc sequi ex illa sententia physice prædeterminationis.

25. *Confirmatur.*—At hoc ipsum nobis sufficere videtur ad evitandam et fugiendam illam sententiam. Unde non invenio alium sectatorem illius assertionis de physica prædeterminatione, qui ausus fuerit etiam prædeterminationem moralem ad actum peccati Deo tribuere. Et licet forte Ledesma magis consequenter vim illationis viderit, nimium tamen videtur excedere admittendo tale consequens, quia non apparet qua ratione negari consequenter possit Deum esse causam moralem peccati, quia quod non intendat directe malitiam, non est sufficiens ratio, ut sæpe probatum est: in reliquis autem habet omnia quæ in quacumque causa peccati, extra ipsummet hominem peccantem, inveniri aut desiderari possint; sed ait Deum, ex parte intellectus, solum tribuere id quod necessarium est ad determinandam moraliter voluntatem, ut libere eliciat talem actum; ultra hoc vero non addere quidpiam aliud quo voluntatem alliciat ad talem actum, vel illum consulat. Et hoc satis esse putat ut Deus non causet peccatum; sed hoc improbatum efficaciter. Primo, quia ad absolutam rationem causæ non est necesse ut faciat superabundanti aut excedenti motione (ut sic dicam), sed est quod faciat sufficienti et efficaci, et hoc conceditur Deo respectu peccati, tam in genere causæ physice, quam moralis; ergo in utroque genere est causa peccati. Secundo, quia inde optime demonstratur, ut Deus sit causa peccati, non esse necessarium ut intendat malitiam; nam si consuleret vel speciali modo alliceret ad illum actum, esset causa peccati, etiamsi malitiam non directe intenderet; ergo ut sit causa peccati, non est necessaria illa directa intentio; ergo si inducit sufficienter et efficaciter

ad actum habentem intrinsece annexam malitiam, licet illam non intendat, neque extraordinariam motionem præbeat, illa sufficet ut sit vera causa moralis et physica peccati.

26. Præterea ad idem argumentor, quia illud iudicium, quod sufficit et necessario præcedere debet, ut voluntas peccet, est quoddam consilium, vel potius supponit illud, et est quasi consummatio consilii, juxta doctrinam generalem de actibus humanis; ergo si Deus ita præmovet, et prædeterminat intellectum ad illam cogitationem et consultationem, ut tandem perveniat ad tale iudicium, ideo dicitur determinare voluntatem moraliter; eadem ratione dicendus est movere consulendo, quia illud consilium totum ex prædeterminatione Dei est, et ideo illi tribuendum est; est ergo Deus causa moralis illius actus, consulendo illum; ergo est, in eodem genere morali, causa peccati: nam si consuleret vehementiori aut specialiori modo, licet id faceret intendendo solum actum sine intentione malitiæ, esset nihilominus causa malitiæ peccati; ergo etiam consulendo quantum sufficit et efficax est ad prædeterminandum moraliter, erit causa malitiæ.

27. *Ledesmæ responsio.*— Videtur autem dictus auctor tacite ad hoc respondere quadam mirabili doctrina, videlicet iudicium quod præcedit actum peccati, licet in se sit unum, habere duplicem rationem, unam, secundum quam iudicat, verbi gratia, actum dicendi falsum, hic et nunc esse convenientem et utilem, ac proinde sub aliqua ratione bonum; aliam, secundum quam iudicat esse malum contra rectam rationem; et sub priori ratione dicit iudicium illud esse a Deo, non autem sub posteriori ratione: *Quia Deus* (ait) *non producit illud iudicium, quatenus dicitur de ipso peccato ut sic*, quia tale iudicium est peccatum, et hac ratione videtur concludere Deum non esse causam moralem peccati, licet sit causa moralis ipsius actus, qui est peccatum.

28. *Confutatur.*— Sed doctrina illa neque evacuat difficultatem, nam vel est sermo de iudicio intellectus, ut ordine naturæ antecedit consensum liberum voluntatis, vel ut subsequitur. Priori modo, nulla ratione considerari potest sub qua non producat a Deo; tum quia sub nulla ratione potest esse peccatum, cum sit ante liberum consensum voluntatis; tum quia iudicium de actu peccati, ut malum est et contra rationem, id est, quo iudicatur tale esse, verum est; ergo simpliciter bonum, et a Deo; imo etiam per se potest esse

intentum, et datum a Deo sub illa ratione potius quam sub alia, quia sub illa magis avertit voluntatem ab effectu, quam invitet illam. Iudicium autem de actu peccati, quod sit delectabilis, vel alia inferiori ratione conveniens, licet sit verum, et fiat concurrente Deo, cum de se magis inclinet ad peccatum, seu actum peccati, non est sub ea ratione ab eo intentum, sed permissum. Iudicium vero practicum, quod potest esse de actu peccati exercendo, vel per consensum amplectendo, licet, in quantum præfert bonum commutabile incommutabili, sit falsum, nihilominus a Deo producit per concursum generalem, quia habitudo talis iudicii ad tale objectum quid reale est, et ideo non potest esse sine efficacia Dei; ergo nullum est iudicium de actu peccati, quod non producat a Deo; ergo evanescit illa distinctio; ergo si Deus prædeterminat homini, vel procurat hæc duo posteriora iudicia, ut hominem ad materialem consensum circa materiam peccati inducant, non videtur posse negari, quin ad peccatum moraliter inducat, sitque vera causa ejus, quod nec conceditur, nec concedi potest.

29. *Altera responsio, et evasio rejicitur.*— Hic autem iterum occurrit evasio, quia simile argumentum fieri potest, licet demus Deum concurrere ad substantiam actus peccati per solum concursum simultaneum, quia, hoc non obstante, semper præcedit iudicium intellectus, quo voluntas moraliter movetur et inducitur, et Deus efficit illud iudicium; ergo per illud dicitur inducere moraliter voluntatem ad actum peccati, ac proinde esse causam moralem peccati. Respondemus esse longe dissimilem rationem; nam e medio sublata prædeterminatione physica, etiam ipsum iudicium fit a Deo physice solum per concursum concomitantem, qui concursus non datur ex peculiari et efficaci intentione inducendi voluntatem in talem consensum (in quo nos ponimus deformitatem causalitatis moralis, quæ ex contraria sententia sequitur), sed datur ex generali intentione concurrenti cum causis secundis, juxta exigentiam earum. Unde determinatio ad tale iudicium non est primario ex Deo, sed ex concursu causarum secundarum, et ideo non potest dici Deus moraliter influere in tale iudicium, sed physice, licet illummet influxum libere ac subinde moraliter quoad modum agendi ex parte Dei tribuat. Aliunde vero licet iudicium illud semel factum, et existens in intellectu, moraliter inducat hominem, nihilominus illa inductio ut mo-

ralis non tribuetur Deo, quia neque est a Deo intenta, neque fit per novam actionem, sed pes solam metaphoricam motionem, et quasi per formalem cognitionem quam præbet ipsum iudicium, ideoque nullo modo potest tribui Deo, ut moraliter moventi, seu inducenti voluntatem.

30. *Confirmatur doctrina allata.*— Nec enim necesse est ut omnis effectus formæ efficienter a Deo productæ refundatur in Deum in eodem genere causæ: nam licet forma det formaliter suum effectum, Deus non dat formaliter, sed effective; sic ergo licet illud iudicium moraliter seu metaphorice moveat voluntatem, Deus non movet illam, moraliter inducendo illam, quia nec Deus illam inductionem intendit, neque ad illam aliquid ex parte sua adhibet præter physicum concursum ad entitatem ipsius iudicii. Longe autem diversa ratio est, si omnes hi actus ex prædeterminatione et primaria Dei intentione fiant; sic enim Deus præordinat, et quasi utitur intellectu et ejus iudicio ad inducendam moraliter voluntatem in talem actum, per quam intentionem et ordinationem, motionem illam moralem suam facit, atque ita ipse est prima causa moralis et efficacissima illius actus. Item, quia consequenter dicendum erit Deum observare occasiones, et disponere causas excitantes talem cogitationem, tali modo et opportunitate, ut effectum illum consequantur. Et licet de solo actu materiali admittatur, est satis magnum absurdum et indignum divina bonitate, quod suo solo arbitrio, et providentia physica et morali procuraverit Deus, ut essent in humano genere infiniti pene actus a quibus est inseparabilis malitia, præterquam quod, illo posito, vitari non potest, quin Deus sit causa moralis peccati et ipsius malitiæ, ut satis probatum est.

## CAPUT XLVII.

SENTENTIA SUPERIORIS CAPITIS EX SCRIPTURA ET CONCILIIIS COLLIGITUR.

1. *Deum non determinare ad actum peccati ostenditur ex Scriptura.*— Ex his rationibus, quibus veritatem nostræ sententiæ ejusque pietatem ostendimus, colligimus ulterius quam sit contraria sententia aliena a modo quo Scriptura loquitur de affectu Dei erga peccatum, et eos qui illud committunt. Nam de peccato dicit Sap. 14: *Odio Deo sunt impius et impietas ejus.* Respondebunt hoc dictum

esse de peccato, ut peccatum est, et de malitia ejus. Et est quidem hoc verum, sed non infringit vim testimonii. Nam quomodo credibile est ut qui malitiam non ficto, sed vero et ingenti odio prosequitur, actus ipsos a quibus est inseparabilis malitia, tanto amore prosequatur, ut absoluta voluntate primaria, et solius sui beneplaciti, ex æternitate tot actus similes fieri disposuerit, quos in tempore efficaci prædeterminatione faciat ut a voluntatibus humanis fiant? Certe hoc non esset odii indicium, sed magnum argumentum amoris erga malitiam quæ tales actus comitatur, quod absit de Deo sentire; eodemque modo induci possunt verba Abac. 1: *Mundi sunt oculi tui ne videant malum, et ad iniquitatem respicere non potest.* Si enim Deus voluntate beneplaciti vult et facit facere actus peccatorum, approbat illos, et libenter videt ac respicit approbationis scientia, contineturque sub illis verbis: *Vidit, Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Qui ergo fieri potest ut qui ita odit malitiam, ut in illam respicere non possit, ita approbet, sciat, et velit actus sine quibus illa malitia non esset, neque ipsi possunt esse quin illa sequatur? Certe hæc duo non cohererent cum prudenti dispositione et mundissima voluntate.

2. *Alia loca Scripturæ.*—Præterea ad peccatorem dicitur Ecclesiast. 15: *Ne dicas: Per Deum abest; ille me implanavit,* cujus testimonii priora verba in libro sequenti sæpe repetemus, ad colligendum ex illis auxilium sufficiens ex parte Dei ad non peccandum. Unde a fortiori sumitur argumentum; nam illa excusatio carentiæ auxilii sufficientis, si vera esset, sufficiens esset, ut ibi ostendemus; ergo multo magis erit justissima excusatio peccatoris, si possit dicere Deum prædeterminasse voluntatem suam ad actum peccati; quid enim poterat ipse facere, ne talem determinationem reciperet, vel ne illa recepta consentiret? Item in hac excusatione revera includitur altera de negatione auxilii sufficientis, quia illa prædeterminatio est efficacissima motio ad consentiendum, seu volendum bonum delectabile vel utile propositum; ergo qui non habet auxilium ad cavendam illam necessitatem, vel resistendum illi, non potest dici habere auxilium sufficiens ad non habendum illum consensum, vel actum volendi, et multo minus habet potestatem ad habendum illum sine peccato; ergo non habet auxilium sufficiens ad non peccandum; præterquam quod nec ad dissentien-

dum habet necessariū auxilium, quia non habet prædeterminationem sine qua impossibile est habere actum dissentienti: quod argumentum in libro 5 latius tractandum est.

3. *Urgetur idem locus.*—Posteriora autem verba illius testimonii videntur pro causa præsentis satis expressa; quid enim est *peccatorem implanare*, nisi vel decipere, vel inducere, ut legit Augustinus de Grat. et lib. arbitr., cap. 2. Utrumque autem facit Deus, si ad actus, quibus homines peccant, eos prædeterminat; quia, ut ostendimus, si Deus prævenit voluntatem, ut velit objectum pravum, multo magis prævenit intellectum, ut judicet illud esse volendum; cum autem Sapiens dicat: *Errant qui operantur malum*, illud iudicium semper includit practicam deceptionem; ergo si Deus illam per concursum prævium immittit, non sine causa dicere potest peccator: *Ille me implanavit.* Secundum probatur, quia ille qui impellit ad actum cum quo peccatur, et sine quo non peccaretur, in eundem maxime inducit; ita vero se habet Deus erga hominem peccatorem, si illum prædeterminat, quia prædeterminatio illa est quidam vehementis impulsus, non solum inducens, sed quasi etiam præcipitans peccatorem in talem actum. Cur ergo miser homo jure non dicat: *Ille me implanavit?*

4. *Confirmatur.*—Cum ergo Sapiens talem excusationem ut frivolam rejiciat, satis certe includit talem de Deo opinionem, quod prædeterminet homines ad actus quibus peccata committuntur. Nam quod Sapiens loquatur non solum de malitia actuum, sed etiam de ipsis actibus, ratio quam subjungit manifestat, dicens: *Ne dicas: Ille me implanavit; non enim necessarij sunt illi homines impii.* Qui enim alium in peccatum inducit, non solet id facere quia indiget ejus malitia, sed quia necessariam sibi reputat ejus actionem, vel ad suam delectationem, vel ad utilitatem, vel ad explendum aliud desiderium suum. Sic ergo ait Sapiens non esse Deo necessarios homines impios, quia non indiget, ad fines providentiæ suæ, actionibus quibus ipsi fiunt impii. Unde etiam colligitur Deum ex se non præordinare aut velle ut tales actiones fiant, sed permittere tantum illas, non negando necessarium concursum; et postquam prævidet futuras, illas ad poenam ordinare, vel occasionem majus aliquod bonum faciendi ex eis sumere.

5. *Alia loca Scripturæ.*—Atque ad eum-

dem modum confirmari potest eadem veritas ex aliis locis Scripturæ, in quibus dicitur, *Deum neminem tentare*, Jacob. 1; utique ad malum, sive ut malum est, sive ut est actus a quo non separatur malitia. Hunc enim sensum præcedentia et subsequencia verba manifeste postulant; ait enim Jacob: *Nemo cum tentatur dicat quoniam a Deo tentatur.* At non dicuntur homines tentari quando inducuntur vel sollicitantur ad malitiam, vel ad peccatum formaliter; vix enim aut nunquam talis tentatio accidit; sed tentantur quando sollicitantur, vel inducuntur ut faciant talem vel talem actum cui conjuncta est malitia; hoc ergo modo prohibetur unusquisque dicere quoniam a Deo tentatur; eodem ergo modo dicitur Deus neminem tentare. Item additur ibi: *Sed unusquisque tentatur a concupiscentia sua.* At concupiscentia non tentat inducendo ad malitiam formaliter, ut est per se notum, quia malitia non cadit sub sensum; sed inclinando voluntatem ad bonum sensibile, quæ inclinatio de se non est ad malum, cum naturalis sit; ergo eodem modo non tentat Deus: ergo multo minus voluntatem ad tale bonum amandum determinat. Probatur hæc ultima consequentia, quia multo major et efficacior esset talis motio, quam quælibet alia tentatio, quæ ab homine vel dæmone fieri solet, imo etiam quam tentatio ipsiusmet Dei, si per impossibile per quæcumque aliam motionem præviam, vel excitationem, ex parte objecti, vel voluntatis a Deo fieret; nulla enim tam efficax esset sicut prædeterminatio.

6. *Evasio rejicitur.*—Sed forte quis eludet testimonium, dicendo illam prædeterminationem non esse tentationem, quia tentationi resisti potest; illi autem prædeterminationi resisti non potest. At hoc est tantum voce ludere, et majus absurdum in re concedere. Nam si turpe est, et Deo indignum, ita nos præmovere ad tales actus materiales, ut ei resistere possimus, profecto turpius et deformius est ita præmovere nos ad eosdem actus, ut illi non possimus resistere; præter alia multa absurda quæ inde sequuntur, nimirum, quod vim quamdam inferat Deus voluntati humanæ, ut eam facere faciat hujusmodi actus, et nihilominus eam puniat, vel quia non resistit, vel propter malitiam quæ inde necessario resultat. Item revera quod Deus sit prima radix perditionis hominum, contra illud Osee 13: *Perditio tua, Israel, ex te.* Et sequela patet, nam perditio hominis consistit

in aversione a Deo; proxima autem radix aversionis a Deo est conversio ad commutabile bonum; hujus autem conversionis prima radix est efficax Dei voluntas, et prædeterminatio humanæ voluntatis ad tale objectum, quam Deus sola sua voluntate facit; ergo ad illam, ut ad primam radicem, hominis perditio revocatur, quod abest. Quantum ergo illa sententia est a Scripturæ locutionibus aliena, tantum nostra est illis conformis.

7. *Auctoritas Conciliorum idem ostendit.*—*Prima propositio definita a Concilio.*—Secundo, ex dictis colligitur idem dicendum esse de auctoritate Conciliorum, et imprimis Concilii Tridentini, sess. 6, can. 6, damnantis dicentes *non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli,* quæ verba doctissime expendit Diotalevius in capite septimo primæ partis libri sui, notatque tres propositiones a Concilio damnatas, quibus respondent tres definitæ. Prima definita est, esse in potestate hominis vias suas malas facere, in qua imprimis adverte, per vias non posse intelligi nisi actus morales hominis, quia illi sunt viæ salutis aut perditionis, unde statim explicantur per bona vel mala opera. Dicuntur autem esse in hominis potestate, utique libera, non præcise quoad malitiam, sed quoad ipsos materiales actus (ut sic dicam); imo malitia ipsa proprie et per se non est in hominis potestate, nisi mediante actu, quia si homo faciat talem actum moralem hic et nunc, non est in nova ejus potestate facere ut sit malus aut bonus; ergo malitia ipsa, vel actus, ut malus, non est in potestate voluntatis, nisi in quantum actus ipse realis, ad quem malitia sequitur, est in ejus potestate. Definit ergo Concilium actus ipsos reales quibus homo efficitur malus, esse in hominis potestate; hoc autem non videtur posse cum prædeterminatione subsistere, quia non habet in sua potestate prædeterminationem ad bonum actum, nec etiam potest impedire quin recipiat prædeterminationem ad actum qui sit malus, si Deus velit illam dare, neque, illa posita, est in potestate ejus facere quin malitia sequatur actum; quando ergo vel quomodo est in potestate libera hominis vias suas malas facere?

8. *Secunda propositio definita a Concilio.*—Secunda propositio a Concilio definita est, *Deum non operari mala proprie et per se, sed permissive solum.* Contrarium autem videtur